

ARTICULUS IV.

GEOGRAPHIA POLITICA ET HISTORICA PALESTINAE

§. I. De variis Palaestinae divisionibus politicis.

Regio Palaestinae pro variis aetatibus, si veante, sive post occupationem Hebraeorum, diverso modo inter incolas divisa fuit, ad quas divisiones varii Scripturae libri respiciunt; quare oportet eas prae oculis habere.

I. Palaestina seu Canaan ante Hebraeorum occupationem.

In remotissima aetate Palaestinam incoluisse videntur gentes illae quae in Pentateucho aliquando nominantur, et iam fere extinctae supponuntur, scilicet *Rephaim*, *Emin*, *Zuzim*, *Enacim*, quae a gigantea statura et robustis viribus celebres permanserant. Quomodo istii regionem inter se dividerent impossibile est definire. His successerunt Cananaei, qui expulsis praeceis incolis totam regionem occuparunt, et inter se distribuerunt pro variis eorum populis. Erant autem Cananaei posterii undecim filiorum Canaan filii Cham, et ab eis nomen habebant; horum sex potissimum in Palaestina proprie dicta sedem fixerunt, et sunt illi tam frequenter in Pentateucho nominati, *Sidonii*, *Hethaei*, *Iebusaei*, *Amorrhaei*, *Gergesaei*, *Hevaei* (1), quibus postea accesserunt *Pherezaei*. Quamvis non possint accurate determinari loca, vel districtus, quos singuli occupabant, generatim tamen ex Scriptura apparet Amorrhaeos qui praecipui inter ceteros erant tum ad Orientem Iordanis, tum ad occidentem maris mortui prope desertum Arabiae Petraeae sedem habuisse, *Hethaeos* in parte occidentali maris mortui in regione Hebron et Mamre domicilium habuisse ex historia Abrahami constat (Gen. XXIII, 2, 3, 10, 17 etc.), Hebron ab eis dicebatur *Arbee*, vel *Cariath-Arbe*; *Iebusaei* superius habitabant regionem ubi postea fuit Ierusalem in cuius loco erat urbs nomine *Iebus*, cuius arcem Iebusaei tenuerunt etiam post bella et victorias Iosue, donec a Davide regnum super totum Israel adepto expulsus

(1) Alii populi ex filiis Canaan orti fuerunt Aracaei, Sinaei, Aradii, Samaraei et Amathaei, qui una cum praecedentibus sub nomine Cananaeorum numerantur in tabula genealogica posterorum Cham. Gen. X, 15-19.

fuerunt (2 Reg. V, 8): *Hevaei* paulo ad Septentrionem et Occidentem Iebusaeorum sedem habuisse videntur in montibus Samariae, *Sidonii* Phoenicem proprie dictam occupabant: *Gergesaei* inter Phoenicem et Iordanem habitasse videntur. Regionem trans Iordanem, quae *Basan* dicebatur, regna Cananaeorum Og et Sehon comprehendebat. Circa Palaestinam autem aliae gentes erant de quibus supra dictum est ut Syri, Amaleitae, Idumaei etc. Australem partem litoris mediterranei, quamvis proprie intra fines Palaestinae comprehensam, Philistaei diu occuparunt etiam post Hebraeorum adventum, ut supra vidimus. Praedicti populi nequam barbari ac sylvestres erant, sed culti et potentes: nam in libris Moysi et Iosue legitur eos innumeras urbes bene extractas et munitas habuisse, ut Iericho, Hai, Gabaon, Astaroth, et alias, item bene instructos exercitus atque culturae signa: monarchico regimini subiecti erant, nam in praeliis quae habuerunt cum Moysae et Iosue triginta et unus eorum reges debellati dicuntur Ios. XII, qui profecto non nisi reguli erant, saepe unius tantum vel alterius urbis dominium adepti, ut ex eorum numeratione quae ibidem fit colligitur. Ante tempora Abrahami vel omnes vel plures ex Cananaeis veri Dei adoratores fuisse ex historia eiusdem Abrahami evidens est: deinceps tamen in idololatriae superstitiones ita prolapsi sunt, ut ea praesertim de causa Deus eorum exterminium decreverit, eorumque terram Abrahami posteris in haereditatem promiserit (Gen. XII, 7, XIII, 14, 15), eo pacto ut praedictas Chananaeorum gentes exterminarent (Ex. XXIII, 23-33).

II. Divisio Palaestinae inter duodecim Tribus.

Promissio Abrahamo aliisque Patriarchis a Deo facta tandem implementum habuit sub Moysae et Iosue. Educto enim populo Hebraeorum ex Aegypto post 40 annorum peregrinationem per deserta Arabiae, tandem, vivente adhuc Moysae, regio trans Iordanem ab eis occupata est, et post Moysis mortem Iosue populum trans Iordanem prodigio divisum transmittens reliquam regionem Chananaeorum, exterminatis incolis, occupavit, Hebraeisque distribuit. Haec trans Iordanem in regione Basan regumque Og et Sehon ipse Moyses sedem assignavit tribus *Ruben*, *Gad* et dimidiae tribui *Manasse* ita ut Ruben Australem partem teneret, septentrionalem Manasse, Gad vero mediam: torrens Arnon limitem signabat

tribus Ruben, quo dividebatur ab Ammonitis et Moabitibus (Deut. III, 12-17, Ios. XII, 1-6, XIII, 8-33). Reliquae tribus regionem cis-Iordanicam occuparunt, scilicet inter Iordanem et mare Mediterraneum, hoc ordine: in parte superiore erant tribus *Nephtali* ad occidentem Iordanis a finibus Syriae usque ad lacum Tiberiadis, inter Manasse et litus Mediterranei erat Tribus *Aser*, infra utramque tribum a lacu Tiberiadis usque ad Carmelum et mare erat Tribus *Zabulon*, Partem mediam occupabant Tribus *Issachar*, alia dimidia Tribus *Manasse*, et *Ephraim*, ita ut Issachar superiorem locum teneret ad austrum lacus Tiberiadis, Ephraim inferiorem ultra fluvium Canah, Manasses vero medium inter utramque. Australem denique partem tenebant Tribus *Dan*, *Beniamin*, *Iuda* et *Simeon* hoc ordine: Dan et Simeon regionem tenebant versus mare mediterraneum, Dan quidem superiorem, Simeon inferiorem usque ad rivum Aegypti, inter Dan et extremam partem Iordanis tacebat Beniamin, inferius vero inter Beniamin, Simeon, Idumaeam et mare mortuum erat tribus Iuda (1). Tribui Levi non fuit adsignata specialis regio, sed tantum 48 urbes sparsae per totam regionem, et pro sustentatione primitiae fructuum et decimae eo fine ut Levitae abiectis temporalibus curis cultus divini administrationi, et fratribus in religione instruendis sese devoverent. Haec omnia ex libro Iosue potissimum innotescunt.

Haec divisio perduravit usque ad epocham Roboami filii Salomonis, sub quo decem tribus a dynastia Davidis defecerunt. Tunc enim duobus separatis regnis coepit nova divisio inter regnum Israel et regnum Iuda: hoc quidem comprehendebat inferiorem Palaestinae partem usque ad limitem septentrionalem Tribus Beniamin, quae cum Iuda permanserat, reliqua regio pertinebat ad regnum Israel ab Ephraim, ubi erat Samaria urbs regia, et sursum.

III. *Divisio Palaestinae aetate Christi et Apostolorum.*

Postquam duo regna Israel et Iuda eversa fuerunt, distinctio inter tribus earumque districtus prorsus evanuit. Iudaei ex capti-

(1) Notum est tribus Israel ex filiis Iacobi originem habuisse, qui quidem duodecim fuerunt: verum a Ioseph tribus denominata non est, sed eius loco duo eius filii Ephraim et Manasse omonimis tribubus originem dederant, atque ita non duodecim sed tresdecim tribus ortae sunt. Terra tamen in duodecim partes divisa est quia tribus Levi separatam regionem non habuit.

vitae Babylonica reversi, cum reliquiis aliarum tribuum, quae vel in regione permanserant vel iis in captivitate sese adiunxerant Palaestinam iterum occuparunt, quae vocari coepit ab eorum nomine *Iudaea* absque ulla distinctione, serius tamen in varias partes divisa est, de quibus nunc dicendum ad intelligentiam librorum N. T. in quibus haec divisio passim recurrit.

Generalis divisio erat in regionem *Cis-Iordanem*, et regionem *Trans-Iordanem*, quae *Peraea* dicebatur. I. Regio cis-Iordanem in tres partes vel provincias dividebatur scilicet *Galilaeam*, *Samaritiam* et *Iudaeam* 1° *Galilaea* גְּלִיל, גְּלִילִית dicta est pars septentrionalis inclusa inter Iordanem et lacum Genesareth ad Orientem, Syriam ad Septentrionem, Phoenicem et Mediterraneum ad Occidentem, et planitie Esdreion ad austrum. Galilaea rursus dividebatur in *inferiorem* et *superiorem*, haec autem dicebatur *Galilaea gentium* (Is. VIII, 23, Mach. V, 15, 21 seqq., Matth. IV, 15) ob magnum paganorum numerum ibidem degentium. *Galilaea* comprehendebat tribus Aser, Issachar, Nephtali et Zabulon. In hac Palaestinae parte Christus conceptus et educatus est, ibi Apostolos vocavit, et publicum praedicationis ministerium exorsus est: quare et ipse Christus cum apostolis Galilaei vocati sunt, et pagani aliquando omnes Christi fideles per contemptum Galilaeos vel Nazarenos appellarunt. 2° *Samaria* partem mediam regionis cis-Iordanicae occupabat, et minima erat ex tribus partibus: limites erant ad Septentrionem Galilaea, et praecise urbes Ginaea et Scythopolis, ad orientem Iordanes, ad austrum Acrabatene et oppidum Annath, ad occidentem proprie mare mediterraneum usque ad Ioppe, quamvis Iosephus Fl. de Bel. Iud. lib. III, Cap. 3 animadvertat Samariam usque ad litus maris non se porrexisse. Complectebatur territoria Ephraim, et dimidia tribus Manasse. 3° *Iudaea* erat amplissima et praecipua inter partes Palaestinae complectens totam regionem meridionalem cum locis tribuum Iuda, Beniamin, Dan et Simeon. Eius limites erant ad Septentrionem Samaria, ad Orientem Iordanes et mare mortuum, ad Occidentem Mediterraneum usque ad Ptolemaidem, ad austrum Arabia Petraea. Pars Idumaeae usque ad oppidum Iardan sub nomine Iudaeae et in eius finibus comprehendi solebat.

II. Regio *trans-Iordanica* seu *Peraea* in octo provincias, seu districtus divisa est, qui sunt sequentes:

1° *Peraea* stricte sumpta dicebatur pars australis inter fluvios Arnon et Iabok, ubi olim Ammonitae habitaverant.

2° *Galaad* supra fluvium Iabok usque ad Gadara et Abilam.

3° *Decapolis*, seu confederatio decem urbium graecanicarum, quae tamen non omnes simul et in eodem districtu sitae erant, nempe *Scythopolis* cis-Iordanem, ut modo innuimus, reliquae in *Peraea* huc illic sparsae, *Hippus* prope litus orientale lacus Genesareth, *Gadara* paulo inferius ad rivum omonymum, *Pella* ad fluvium Iabok, *Philadelphia* magis ad austrum, ubi olim fuerat *Rabbath-Ammon*, adhuc inferius *Dion*: aliae urbes erant *Canath*, *Gerasa*, *Raphana* in partibus superioribus *Peraeae*, sed in his numerandis antiqui auctores inter se non conveniunt. Decapoleos urbes in N. T. saepe nominantur, et ex hisce turbae Christum sequutae fuisse dicuntur *Matth.* IV, 25 etc.

4° *Gaulonitis* erat tractus ad litora orientalia lacus Genesareth et Iordanis usque ad montem Hermon.

5° *Bathanaea* erat pars antiquae regionis *Basan* ultra *Gaulonitidem* ad orientem sita.

6° *Ituraea* pariter ad orientem et ad septentrionem *Bathanaeae* iacebat: vocabatur etiam *Auranitis*, et hebr. חֶרְרָן *Cheraran* (*Ezech.* XLVII, 16, 18): alii tamen recentiores geographi distinguunt *Ituraeam* ab *Auranitide*, et hanc infra illam collocant.

7° *Trachonitis* magis ad Orientem sita erat ultra *Caesaream Philippi*, seu *Panaeum*.

8° *Abilene* vocabatur districtus ad Septentrionem *Auranitidis* et *Galaad* versus *Damascum*: haec regio a *Lysania* qui eius dominationem a Romanis acceperat *Abilene Lysaniae* vocata est. Praecipuae ex his divisionibus simul commemorantur a *Luca* III, 1, ubi incipiens publicam Christi vitam narrare ait *Iohannem Baptistam* praedicationem suam auspicatum fuisse: « procurante *Pontio Pilato* *Iudaeam*, *tetrarcha* autem *Galilaeae* *Herode*, *Philippo* autem fratre eius *tetrarcha* *Ituraeae* et *Trachonitidis* regionis, et *Lysania* *Abilinae* *tetrarcha*. »

III. Tertia divisio, quae in mox citato testimonio *Lucae* innuitur pertinet etiam ad aetatem Christi, quando scilicet, mortuo *Herode magno*, totum eius regnum, iubente *Caesare Augusto*, inter eius filios divisum fuit. Potior pars *Archelao* data est sub no-

mine *Ethnarchiae*, reliquae vero partes cis et trans Iordanem *Tetrarchiae* dictae fuerunt, et aliis assignatae. *Ethnarchia* comprehendebat totam *Iudaeam* cum *Samaria*, et *Idumaea*; *tetrarchia* *Herodis* (*Antipae*) continebat *Galilaeam*, et *Peraeam* stricte sumptam; *tetrarchia* *Philippi* alterius filii *Herodis M.* complectebatur *Bathanaeam*, *Trachonitidem* et *Auranitidem*, et partes quasdam domus *Zenonis* circa *Iamnam* (*Ioseph. Fl. De Bel. Iud.* I, II, c. VI, 3). *Abilene* in separatam *tetrarchiam* constituta est et *Lysaniae* concessa. Haec tamen divisio parum duravit, nam post *Ierosolymae* eversionem per *Titum* et *Vespasianum* tota *Palaestina* in provinciam Romanam redacta est: et saepe sub nomine *Syriae* comprehensa.

IV. Denique serius in Romana et Ecclesiastica historia occurrit alia *Palaestinae* divisio in tres partes, quae vocatae sunt *Palaestina I*, *II* et *III*, quemadmodum etiam in regione *Aegypti* aliquando factum est. Haec divisio primo apparet in monumentis saeculi V, aerae Christianae, ut in *Leg. III. Codic. Theodos. de erog. milit. annon.* « *Limitanei milites* et *possessores utilitate* conspecta per *primam, secundam, et tertiam Palaestinam* huiusmodi norma processit. » *Palaestina prima* partem mediam *Palaestinae* comprehendebat cum *Ierosolyma*, *Palaestina secunda* partem superiorem seu *Galilaeam* et partem *Smariae*, *Palaestina tertia* partem inferiorem *Iudaeae*, et *Idumaeam* usque ad sinum *Arabicum*. Haec postrema pars, cuius metropolis erat *Petra*, aliquando dicta est *Palaestina salutaris*. Index urbium *Episcopalium Palaestinae primae, secundae et tertiae* exhibetur in *Geographia sacra* *Caroli a S. Paulo* edita et adnotata ab *Holstenio*: at *Relandus* (*lib. I cap. 34* et *lib. III, passim*) plura in eo omnia animadvertit.

§. II. De *Palaestinae incolis, eiusque praecipuis urbibus.*

I. De primis *Palaestinae incolis*, quos diximus ante *Cananaeos* regionem occupasse, nihil scimus, quod ad eorum numerum, culturam, urbes aliaque huiusmodi. Tantum de eorum feritate ac robustis viribus obiter mentio fit in libris *Moysi* et *Iosue* (*Num. XIII, 35, Deut. II, 10-12, 20-22, III, 11-13*). Ad *Cananaeos* quod attinet, eorum numerum ingentem fuisse ex *Scriptura* apparet, ubi *triginta* et unus eorum reges numerantur a *Moysae* et *Iosue* devicti cum eorum exercitibus (*Ios. XII*), qui aliquando ad plura millia bellato-

rum fortissimorum ascendisse dicuntur. Plurimae eorum urbes in iisdem libris commemorantur (1) quarum alias Hebraei deleverunt, aut igne succenderunt, ut Jericho (Ios. VI), et Hai (Ios. VII), alias vero, imo plerasque, captas occuparunt, et sunt illae ipsae Palaestinae urbes in posterioribus libris frequenter nominatae, de quibus, ut et de aliis ab Hebraeis aedificatis, infra dicemus. Populi Cananaeorum superius memorati secundum Dei iussum debuisent omnes deleri (Num. XXXIII, 50-56), plures tamen ex eis stragem evaserunt et in nativa regione habitare permisi sunt, ut Iebusaei in tribu Iuda (Ios. XV, 63), et alii Cananaei in tribu Ephraim (ib. XVI, 10), praeter Philistaeos qui usque ad tempora regum suas urbes tenuerunt (ib. XI, 22).

Ad Israelitas quod attinet eorum numerus cum primo Palaestinae ingressi sunt satis ingens erat: siquidem per desertum numerabantur 600,000 iuvenes armis ferendis apti (Num. XXVI) inter quos Levitae comprehensi non sunt; unde facile est conicere integrum populum, cum Levitis scilicet, pueris, mulieribus ac senioribus numerum 3,000,000 circiter attingisse. Sub regibus populus Hebraeorum plurimum auctus fuit, nam in censu quem Iosab egit iussu David inventi sunt 4,300,000 viri bellatores, nempe in sola tribu Iuda 500,000, et in reliquis 800,000 (2 Reg. XXIV, 9), quibus addenda est immensa turba mancipiorum, et advenarum, praeter Levitas: quare numerus incolarum 6,000,000 minor esse non poterat. Post Ierosolymae excidium numerus valde imminutus est, nunc autem sub Turcarum dominatione incolae Palaestinae vix ad 300,000 numerantur. De politicis vicissitudinibus Hebraeorum sermo erit inferius.

II. Praecipuae Palaestinae urbes numerari possunt secundum recentiore Palaestinae divisionem quae aetate Christi obtinebat in regione cis et trans Iordanem.

1° In regione trans Iordanem seu Peraea sequentes urbes praecipue notandae sunt incipiendo a parte septentrionali in via Damasci, et procedendo versus austrum. *Dan*, olim *Lais*, vel *Lesem*

(1) In sola regione Basan narratur *secaaginta urbes* a Iudaeis captas fuisse Deut. III, 3 seq. et additur: « Cunctae urbes erant munitae muris altissimis, portisque et ventibus, absque oppidis innumeris, quae non habebant muros » (ib. 5).

dicta, signabat extremum limitem septentrionalem Palaestinae; nominatur in historia Abraham (Gen. XIV, 14) deinceps a Danitis capta est (Iud. XVIII, 27-29), serius Ieroboam vitulum aureum ibi ad profanum cultum erexit (3 Reg. XII, 29). Haud procul sub monte Paneo erat *Caesarea Philippi* olim *Panaea* dicta, ubi Petrus Christi divinitatem confessus est, et promissionem primatus accepit (Matth. XVI). In eadem regione erant *Gessur*, cuius rex nominatur 2 Reg. III, 3: *Argob*, *Astaroth* et *Edrai* erant urbes Basan, cuius regem Og Israelitae profligarunt (Num. XXI, Deut. III). Inferius in tribu Gad erant *Iabes-Galaad*, et *Ramath-Galaad*, ubi non semel Hebraei cum Cananaeis dimicaverunt: apud hanc alteram urbem Achab rex Israel occisus est (3 Reg. XXII, 20 33-37). *Machanaïm*, *Phanuel* et *Succoth* in historia Iacobi patriarchae celebres sunt (Gen. XXXII, 2, 30 XXXIII, 17). *Hippos*, *Dium*, *Pella* aliaeque urbes Decapoleos in hac regione existentes superius nominatae sunt: Pella refugium praebuit Christianis, qui illud confugerunt cum Ierusalem a Romanis capta et eversa est. In parte meridionali Peraea olim a tribu Ruben occupata praecipua urbs erat *Rabbath-Ammon*, quae princeps Ammonitarum urbs fuit, deinde ab Hebraeis occupata, et serius *Philadelphia* appellata, et ad decapolim pertinebat. In huius urbis obsidione Urias maritus Bethsabeae David iussu occisus est (2 Reg. XI, 15-17). *Minnith* ab optimo frumento laudata Ezech. XXVII, 17; *Hesebon* urbs munita et princeps Amorrhaeorum: *Medaba* in praeliis David saepe nominata (1 Par. XIX, 17) alias etiam *Madaba* dicta (Num. XXI, 30, Ios. XIII, 9, 16). *Aroer*, *Didon*, *Kedemoth* nominatae Ios. XIII, et *Bosor* Deut. IV, 43. Item *Rabbath-Moab* et *Chir-Moab* celebres Moabitarum urbes fuerunt, postea ab Hebraeis occupatae: *Rabbath Moab*, *Areopolis* a Graecis dicta est. Hae omnes cum aliis minoribus oppidis ad Orientem maris mortui iacebant. Haec quidem de Peraea. In regione vero cis-Iordanica sequentes urbes erant.

2° In *Galilaea* urbes et pagi frequentius in Scripturis nominati sunt sequentes. In districtu tribus Aser olim fuerunt urbes *Halcath*, *Chali*, *Beten* et aliae in eius descriptione numeratae Ios. XIX, 25 seqq. Etiam urbes *Tyri*, *Sidonis*, et *Acco*, quae postea *Ptolemais* dicta est, in eius finibus comprehendebantur, sed eas expugnare Hebraei non potuerunt. *Chapharnaum*, *Corozaim* et

*Bethsaida* in Evangelio celebres prope lacum Genesareth in parte superiori sitae erant. Ad sud-ovest Chapharnaum erat *Cana Galilaeae*, ubi Christus aquam in vinum convertit ad nuptias. *Cinereth* vel *Genesareth* in litore occidentali praefati lacus extracta erat, quae deinceps *Tiberias* in honorem Tiberii Caesaris vocata fuit, unde lacus utroque nomine appellari consuevit: haec saepe in Scripturis nominatur, et post Christianam aeram celebris scholae Hebraeorum sedes fuit, unde Talmud, et Massora prodierunt. *Asor* regis Iabin sedes fuit, cuius exercitus ducem Sisaram Iabel mulier hebraea occidit (Iud. IV, 2, 21). *Cades Nephtali* sedes fuit Barac Iudicis Israel (ib. 6). *Nazareth* Mariae, et Iosephi domus, ubi Christus maximam vitae suae partem duxit, media est fere inter Carmelum et extremitatem australem lacus Tiberiadis. *Naim*, quam prope Christus filium viduae mortuum suscitavit, et *Endor*, ubi Saul pithonissam consuluit, 1 Reg. XXVIII, 7 seqq. pariter in parte meridionali Galilaeae sitae erant.

3° In *Samaria*, ubi olim Ephraim et Manasse tribus fuerant, princeps urbs erat *Samaria* hebraice שומרון *Sciomerou* ab Amri aedificata, et sedes regni Israel constituta, unde tota regio nomen sumpsit: postquam a Salmanasar destructa fuisset iterum aedificata est ab Assyriis, qui, Israelitis in captivitatem abductis, eandem regionem occuparunt: Herodes magnus eam plurimum adauxit, et ornavit, vocavitque *Sebasten*: haec urbs adhuc existit, licet ad parvum oppidum redacta, sub nomine *Sebastieh*. *Sichem* seu *Sichar* erat alia praecipua urbs Samariae in valle Sichem inter montes Hebal et Garizim sita. Celebris est in historia Patriarcharum, et apud eam conspiciebatur puteus Iacobi, ubi Christus Dominus celebre cum Samaritana muliere colloquium habuit, qui etiam mox Sichemitis evangelium annuntiavit (Io. IV): ab imperatore Vespasiano ampliata est, mutato eius nomine in *Neapolim*, unde hodiernum nomen *Napulus*; adhuc enim extat, et a reliquis veterum Samaritanorum habitatur. Ibi et hodie ostenditur puteus Iacobi, et sepulchrum Ioseph. Olim haec urbs sedes regia novi regni Israel fuit sub Ieroboamo (3 Reg. XII), quae postea Tirsam translata fuit, et postremo Samariam. *Antipatris* prope mare mediterraneum nomen accepit ab Antipatro Herodis filio: illic Paulus sub custodia militum adductus est cum Caesaream versus pergeret (Act. XXIII, 31). *Caesarea Palaestinae* dicta

ad mare mediterraneum sita infra Carmeli promontorium sub dominatione Romana praecipua urbs Samariae evasit, postquam ab Herode aucta fuisset: ibi Petrus centurionem Cornelium baptizavit (Act. X, 24 seqq.), ibi etiam Paulus adversus Hebraeorum accusationes coram Felice praeside se defendit (Act. XXIII, 33, XXIV, 1 seqq.). *Silo*, ubi tabernaculum et arca foederis diu substitit. *Lydda* a Graecis Diospolis dicta Apostolorum aetate populosa urbs fuit, ubi Petrus prodigiose aegrum sanavit (Act. IX, 33 seqq.). *Aennon* iuxta Salim in Evangelio nominatur ut locus praecipuus ubi Iohannes Baptista praedicabat « quia aquae multae erant illic, et veniebant et baptizabantur » Io. III, 23, sed situs huius urbis certo definiri nequit. *Joppe*, nunc *Iapha* celebris est portus et urbs maritima in extremitate meridionali Samariae: ibi Petrus celebrem habuit visionem lintei e coelo demissi animalibus pleni, quo Gentilium ad fidem vocatio adumbrabatur (Act. XI), ibi etiam Dorcaem puellam mortuam suscitavit Act. IX, 38-40. Huc appellere solebant, et adhuc solent naves, quae peregrinos in terram sanctam vehunt.

4° In *Iudaea* denique praecipuae urbes, praeter Ierusalem, de qua postremo loco dicemus erant sequentes: *Iericho*, quae fuit prima urbs cis Iordanem ab Hebraeis expugnata (Ios. VI), deinceps ab Elisaei commoratione illustris, et a Christo Domino frequenter visitata, ubi etiam Zachaeum principem publicanorum recepit (Luc. XIX), et duos coecos illuminavit (Math. XX, 30): sita est prope Iordanem paulo supra mare mortuum. *Galgala* גלגל prope Iericho versus Iordanem, locus est ubi Hebraei transmissio Iordane castrametati sunt, et manna cessavit (Ios. V, 10-12). *Bethel* in tribu Benjamin supra Ierosolymam ob visionem Iacobi Patriarchae aliaque Patriarcharum gesta notissima (Gen. XII, 8, XVIII, 19, XXXI, 13) adhuc existit, et vocatur *Bettin*. *Bethlehem* duabus leucis ad meridiem Ierosolymae celebris fuit patria Davidis, sed Christi Domini natiuitate longe celebrior. *Hebron* in montanis Iudae sita, urbs antiquissima apud quam Abraham Patriarcha diu commoratus est: dicebatur etiam *Arbee*, vel *Cariath-Arbe*, nunc vero *El-Khulil*: ibi Sara mortua est, ibique eadem, et deinceps Abraham eiusque familia et posteris sepulti sunt in spelunca duplici ab Abrahamo coempta (Gen. XXIII seqq.). *Arimathaea* fuit patria Iosephi Christi discipuli, qui eius corpus a

Pilato impetravit, et in suo sepulchro sepelivit (Matth. XXVII, 54). *Bethania*, ubi Maria, et Martha vivebant, et Lazarus resuscitatus est in vicinia Ierosolymae sita erat quindecim stadiis ab urbe (Io. XI, 18); item *Bethphage* saepius a Christo invisit, et unde profectus est ut urbem Ierosolymam triumphaliter ingrederetur, prope Bethaniam iacebat (Matth. XXI, 1), ambo, ut videtur ad orientalem partem montis olivarum (Luc. XIX, 29, 37), quod etiam Eusebius et Hieronymus in Onomastico affirmant. *Emmaus*, ubi Christus duobus discipulis apparuit ipso die resurrectionis, a Ierosolyma distabat 60 stadiis (Luc. XXIV, 13): est tamen alia urbs Emmaus longe celebrior quam Romani *Nicopolim* dixerunt decem milliariis ad orientem australem Lydæ, ubi Iudas Machabæus insignem victoriam de exercitu Gorgiæ retulit (1 Mach. III, 57 seqq. IV, 8 seqq.), quæ adhuc existit sub nomine *Amnas* (1). *Iutta* (nunc *Yutta*) inter urbes Iuda nominatur Ios. XV, 35, XXI, 16, (in vulgata redditur per *Iata* et *Ieta*): non longe a mare mortuo inter montes Iuda sita erat: existimant nonnulli hunc esse locum nativitatis Iohannis Baptistæ, putant enim Lucam id significasse cum ait Luc. I, 39 seqq.: « Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in *montana* cum festinatione in *civitatem Iuda*, et intravit in domum Zachariæ » ubi dicunt pro Iuda legendum esse *Iutta*: Eusebius et Hieronymus affirmant fuisse vicum prægrandem 18 mill. ab Eleuteropoli ad austrum (2). *Engaddi* a vineis (Cant. I, 13) et a luxuriantibus palmetis percelebris prope mare mortuum sita erat 8 vel 9 leucis ab Hebron. Ut alias urbes omittamus, in finibus australibus Iudææ erant *Cades-Barne*, seu simpliciter *Cades*, in extremo austro orientali, et *Bersabea* ad austrum occidentalem.

(1) Hieronymus, Sozomenus et alii nonnulli Emmaus Nicopolim confundunt cum Castello Emmaus apud Lucam, et hæc quaestio nuper inter orientales coepit iterum agitari, contententibus plerisque Emmaus Evangelicum esse diversam ab hodierno Amnas, eiusque situm representari ab alio vico dicto *El-Kubebe*, alii contra pugnantibus pro *Amnas* seu Emmaus *Nicopolis*. Cum autem hæc urbs multo remotior sit a Ierosolyma, isti contendunt in textum Lucae errorem irrepisse, et pro 60 stadiis legendum esse 160, ut revera habent quidam codices graeci, et versio Armenica.

(2) De hoc etiam quaestio recenter excitata est inter christianos orientales, de qua videri potest erudita dissertatio in Ephemeride a *Le missioni Cattoliche*, *Tollettino settimanale illustrato* 3 Settembre 1880.

Apud Cades-Barne populus Israel diu commoratus est secundo anno post exitum ab Aegypto (Deut. I, 2), et inde Moyses exploratores misit in terram Canaan (Num. XIII, 1 seqq.); eius mentio frequentissima occurrit in Scripturis: adhuc eius situs cernitur in loco dicto *Ain el-Weibe* (iuxta sententiam Robinson et Potter): sita erat non procul a monte Hor ad eius Occidentem Borealem, et a monte Sephaat iuxta quod legitur Num. XXI, 1 seqq. coll. Iud. I, 17. *Bersabee* nomen accepit a puteo, quem Abraham effodit, et iuramento quo ibidem confirmavit pactum cum Abimelech initum (Gen. XXI, 31): ibi in visione iussus est filium suum immolare (Gen. XXI), ibi etiam Iacob benedictionem patris Isaac, et primogeniti iura accepit (Gen. XXVII), ibi quoque ultimum sacrificium obtulit cum iter susciperet cum tota familia in Aegyptum (Gen. XLVI), inde quoque Elias fugiens iram Iezabel profectus est in desertum (3 Reg. XIX); erat enim, ut alias diximus, ultima Iudææ urbs in parte australi: eius ruinae adhuc ostenduntur in loco dicto *Bir-es-Seba* (1).

### §. III. De Ierosolyma, eiusque viciniis.

Urbs omnium princeps erat *Ierusalem*, antiquissimæ originis, urbs sancta tum ob templum et sedem religionis veræ, quæ ibi mansit usque ad Christum, tum ob ipsius Christi præsentiam et mortem; quam ideo non Christiani solum et Iudæi venerantur, sed etiam Mohametani qui eam adhuc *El-Kuds*, sive *sanctam* appellent. Sita est sub 31° 46' latit. Boreal. et 32° 32' longit. orient. a meridiano Paris. Distat 33 milliariis a mare mediterraneo (recta linea), et 15 a mare mortuo, supra cuius æquor attollitur pedes 3870. In eius descriptione paullisper immorandum est.

*Ierusalem* ab Hebræis fundata non est, sed iam apud Chanaeos existebat sub nomine *Iebus*, ut clare edicitur Ios. XVIII, 28, qui etiam eius arcem Sion obtinuerunt usque ad epocham Davidis (2 Reg. V, 6-8): Hebræi illam vocarunt *Ierusalaim* יְרוּשָׁלַיִם et aliquando contracte *Salem* שָׁלֵם (2). Post eversionem effectam

(1) De omnibus prorsus urbibus et vicis Palestinæ singillatim et accurate pertractant, post Eusebium et Hieronymum, auctores superius laudati. Ex his Relandus (toto lib. III, op. cit.) ordinem alphabeticum sequitur, Gratz cum aliis ordinem locorum ac regionum.

(2) Plures ex istimant Ierusalem ætate Abrahami *Salem* vocatam fuis-

per Titum primo, deinde per Aelium Adrianum urbs deinceps reaedificata *Aelia Capitolina* vocata est, quod nomen apud Romanos ita familiare evasit, ut vetus Ierosolymae nomen fere ignorarent (vid. Eusebium lib. *De Martyr. Palaestinae* cap. XI). Verum post Romani Imperii conversionem ad Evangelium, antiquum et sacrum nomen Ierosolymae urbi restitutum est. Haec urbs, ut diximus, inde ab epocha Patriarchatum existens ab Hebraeis occupata et ornata, a David regia sedes constituta, verae religionis centrum, imprimis post aedificatum a Salomone templum, effecta, usque ad Sedeciam in suo splendore permansit; cum autem a Chaldaeis destructa fuisset, post solutam Babylonicam captivitatem a Iudaeis in patriam reversis iterum aedificata est una cum templo: haec autem nova urbs longe inferior erat antiqua usque ad Herodis Magni tempora, qui eam plurimum ornavit, et templum magnificentius effecit, cuius exemplum sequutus Agrippa eius nepos urbem ampliavit. Tum a Romanis eversa an. Domini 70, denique post 50 aut 60 annos reaedificata est ex parte saltem, et antiquo situ paulisper immutato, nunquam vero ad pristinum splendorem rediit. Pace per Constantinum Ecclesiae concessa, Christiani magno numero Ierosolymam confluere coeperunt, ubi etiam Helena imperatrix plures ecclesias extruxerat in memoriam praecipuorum Christi mysteriorum. Saeculo VII Mohamethani sub Chalifo Omar Ierosalem vi et armis occuparunt, et in situ templi aedem sacram Musulmanicam construxerunt, mutata etiam ecclesia B. M. V. in Moscheam (*el-Aksa*). Cum postea Chalifi Fatimitae (saeculo X) Christianos persequi coepissent, et Ecclesiam sancti Sepulchri evertissent, suadente Petro Eremita, Christiani Principes exercitus cruce signatorum in orientem miserunt, qui sacra loca et potestate infidelium eriperent, qui in variis expeditionibus varia fortuna contra Saracenos bellantes Ierosolyma potiti sunt an. 1099, et iterum an. 1229, donec anno 1243 Saraceni, expulsis Christianis, Ierosolymae possessionem sibi vindicarunt, nec unquam amplius

se, cuius rex Melchisedech victori Abrahamo obviam venit Gen. XIV, 18 seqq. (sive is fuerit ex Iebusaeis, sive ex antiquioribus quibusdam loci habitatoribus): alii tamen distinguunt Salem Melchisedechi a Ierosalem, et nomen illud nonnisi recentius brevitatis causa aliquando urbi datum putant (ita Relandus op. cit. lib. III in *Ierosalem*).

dimiserunt. Ex his apparet Ierosolymae amplitudinem atque conditionem variam variis aetatibus fuisse. Quare in eius descriptione oportet distinguere quae propria sunt Ierosolymae ante captivitatem Babylonicam, ad intelligentiam librorum V. T., post captivitatem et imprimis tempore Christi et Apostolorum ad intelligentiam Evangelii et aliorum librorum N. T., demum recentius, et uti nunc est.

Ierosalem super varios colles uti Roma extracta est (1) qui universim quinque numerantur: *Sion, Akra*, (qui etiam *Salem*) *Moria, Bezetha* et *Calvaria* (2) qui tamen non omnes uno tempore intra urbis moenia conclusi fuerunt, sed primum solum mons Sion coeteris amplior, et excelsior, tum Akra humilior, et, ut multis videtur, priscam Iebusaeorum urbem complectens, deinceps Moria, ubi templum a Salomone aedificatum est, et mox Bezetha Moriae vicinis, qui *caenopolim* seu urbem novam comprehendebat: collis Calvariae usque ad Christi mortem extra moenia semper mansit, deinceps autem intra urbem inclusus est. Descriptio veteris urbis uti erat tempore regum ex variis Scripturae locis colligi potest. Mons Sion ad anstrum occidentalem (Sud-Ovest) urbis, palatium Regium gerebat cum aliis publicis aedificiis a Davide praesertim et Salomone extractis, unde *civitas David* dicebatur, et a Iosepho Flavio dicitur *urbs superior* ob Sionis altitudinem super alios colles, mons *Akra* (seu *Salem*) civium privatorum domibus onustus erat, inter utrumque montem vallis satis ampla interiacebat, quam Salomon substructionibus quibusdam fere implevit vocatis *Mello* (3 Reg. XI, 27), qui etiam Sion et Moria ponte coniunxit ut reges recta via a palatio ad templum accedere possent. *Moria* ad Orientem situs templum Salomonicum in vertice habebat cum adnexis aedificiis, nullas

(1) Ad situm quod attinet Ierosalem fere medium locum tenet in Palaestina, et confinium inter Tribum Iuda et Benjamin, unde oritur apparens illa discordia circa tribum ad quam pertinet, nam Ios. XV, 63 et Iud. I, 8, tribuitur filiis Iudae, at Iud. 21 filiis Benjamin, scilicet linea divisionis in ipsam urbem incidebat, ut innuitur Ios. XV, 8, (Vide Lightfoot Chorograph. in Math. XXI, et Relandus loc. cit.).

(2) Ad haec alludit Psalmista in exordio Ps. LXXXVI, qui est de laudibus Ierosalem, inquit: « Fundamenta eius in montibus sanctis. » Hinc etiam fit ut Ierosalem advenas dicantur *ascendere*, abentes autem *descendere*: « Ecce ascendimus Ierosolymam et filius hominis tradetur. » (Luc. XVIII, 31). « Homo quidam descendebat a Ierosalem in Iericho » (Luc. X, 30).

autem civium domus, ideo mons sacer erat, et in eo iam olim Abraham filium Isaac immolaturus ab Angelo impeditus hircum substituit, unde etiam nomen monti adhaesit quod significat *visio Dei* (1). *Bezetha* ad septentrionem Akra et *Moria* urbem novam ut diximus comprehendebat: continuatio montis *Moria* ad austrum extra muros templi nomen gerebat *Ophel*, seu *Ophla*. Montes isti ex parte praesertim orientis et austri praerupti erant, unde accessus ad urbem ex ea parte arduus: ad occidentem vero et septentrionem facilius accessus, ideoque ex hac parte urbis firmitus munita. Iosephus Fl. de bell. Iud. lib. VI, cap. 6, refert Ierusalem triplici muro circumdatam fuisse, quod tamen non ita intelligendum est quasi unius muri ambitus alterum includeret, sed, quod tres urbis partes suum singulae murum haberent. Primus circumibat collem *Sion*, ab arce Davidis decurrens versus Orientem, et meridiem per gyrum, et sexaginta turribus munitur (Ios. B. Iud. V, 3 seqq.). Secundus circumibat collem Akra et urbem inferiorem ad Septentrionem, et occidentem ita tamen ut extra ambitum relinqueret Calvariam seu Golgotha (Ios. ibid. cap. 4, lib. VI, cap. 2, Io. XIX, 20, Hebr. XIII, 12). Tertius murus comprehendebat *Bezetha* et *Golgotha*, percurrens ad Septentrionem et Orientem Akra et *Moria*: hic tamen murus post Christi mortem ab Agrippa rege sub Claudio imperatore extractus fuit, unde *murus Agrippae* dicebatur: cum ex hac parte aditus ad urbem facilius esset amplioribus munitionibus instructa erat, seu, ut refert Iosephus, nonaginta firmis turribus. His addendus est murus qui ambebat undique verticem *Moria* et templum. De his tum moenibus tum turribus etiam Tacitus Iudaici belli historiam narrans hist. lib. V, cap. 11, loquitur, qui addit muros nequaquam recta linea ductos fuisse sed multis anfractibus angularisque ad usum bellicum (2) sinuatos. Ex praedictis turribus qua-

(1) Id tamen a nonnullis recentioribus negatur (Stanley, Grove et alii) qui contendunt *terram Moria* (Gen. XXII, 2) ubi Abraham iussus est filium immolare diversam esse a *monte Moria*, et non in Iudaea sed in Samaria inter montes Ephraim iacere. Nobis videtur ab antiqua et constanti Iudaeorum ac Christianorum traditione recedendum non esse.

(2) In cap. 11 ita scribit: « Sed urbem arduam situ, opera, molesque armaverant, quae vel plana satis munitur. Nam duos colles immensum editos claudant muri per artem obliqui, aut introrsum sinuati: ut latera oppugnantium ad letus patescerent. Extrema rupis abrupta, et turres ubi

rum vix ulla vestigia hodie cernuntur quatuor fortissimae reputantur quarum nomina erant *Hippicus*, *Phasaelus*, *Mariamne* et *Xephinus*. *Hippicus* ad angulum nord-ovest muri *Sion* extracta in loco ubi olim fuerat arx David, ad cubitos 80 attollebatur. Ab Herode magno aedificata fuit et ab eius amico Hippico appellata: *Phasaelus* ad orientem Hippici sita erat prope murum qui partem borealem *Sion* cingebat: pariter ab Herode erecta fuit; *Mariamne* paulo infra *Phasaelum* erigebatur non procul a palatio Herodis (Agrippae). *Xephinus* turris octagona cubitorum 70 ad extremitatem occidentalem tertii muri Agrippae erecta est ad urbem ex ea parte muniendam: huius rudera adhuc cernuntur, et ab Arabibus vocantur *Kasr-gialud*. His addenda est turris *Antonia* de qua inferius.

*Portae* urbis plures nominantur in Scripturis, tum in veteri urbe ante captivitatem, tum in nova post captivitatem, et Christi tempore. In veteri urbe nominantur 1° *Porta piscium* (2 Par. XXXIII, 14), 2° *Porta anguli* (4 Reg. XIV, 13), 3° *Porta Benjamin* (Ier. XXXVIII, 7), 4° *Porta Ephraim* (4 Reg. XIV, 13), 5° *Porta Vallis* (2 Par. XXVI, 9), 6° *Porta Equorum* (Ier. XXXI, 40), quae dicitur *orientalis*, 7° *Porta Laterum* (Ier. XIX, 2) quae etiam *Porta Fiellis*, 8° *Porta Media* (Ier. XXXIX, 3), 9° *Porta Prior* seu *antiqua* (Zach. XIV, 10), et 10° *Porta superior* ad septentrionem (Ezech. IX, 2). Situs harum portarum plerumque incertus est, nisi ubi in Scriptura expresse indicatur, ut de nonnullis vidimus: reliquarum locus conici potest ex portis novae urbis post captivitatem aedificatae quae uti nomen ita etiam situm priorum servasse credendae sunt. De his nunc breviter.

Ad orientem 1° *Porta ovium*, seu gregis ita dicta quia victimae pro sacrificiis per eam ad templum ducebantur (2 Esdr. III, 1, XII, 38, Io. V, 2), 2° *Porta Custodiae* (eadem ac *porta equorum*)

mons invisset, in sexaginta pedes, inter diversa, in centenos vicinosque attollebantur, mira specie ac procul intentibus pares. » Quamvis haec omnia referenda sint ad urbem Ierusalem in ultima aetate, certum tamen est etiam aetate Regum eam firmis turribus munitam fuisse, ad quas alludit Psalmista in Ps. 121 ubi Ierusalem laudans ait: « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. » Has inter eminebat turris, seu arx David in vertice *Sion* de qua Salomon in Canticis (IV, 4): « Turris David... quae aedificata est cum propugnaculis: mille elypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. »



quae videtur versus Austrum montis Moria fuisse non procul a templo (2 Reg. XII, 38, 2 Par. XXIII, 15), 3<sup>a</sup> *Porta aquarum* in muro qui cingebat Ophel prope fontem Draconis (2. Esdr. XII, 36), 4<sup>a</sup> *Porta orientis*, seu orientalis (2 Esdr. III, 29), quae creditur tenuisse locum hodiernae *portae aureae* circa medium muri orientalis montis Moria, 5<sup>a</sup> *Porta fontis*, scilicet Siloe, iuxta quem sita erat (2 Esdr. III, 15), 6<sup>a</sup> *Porta stercoris* ita dicta quia exinde educebantur urbis purgamenta ut in vallem Cedron eicerentur, (2 Esdr. II, 13). Ad occidentem urbis in muro Sion erat *porta Anguli*, haud procul a Golgotha (2 Par. XXVI, 9, Ier. XXXI, 38). 2<sup>a</sup> *Porta Vallis* prope arcem David (2 Esdr. II, 13). Ad septentrionem erant *Porta Ephraim*, ubi nunc est Porta Damasci (2 Esdr. XII, 38). 2<sup>a</sup> *Porta Antiqua*, ibidem.

Aedificia publica et celebriora in veteri urbe, praeter templum, de quo inferius dicitur, et turres de quibus supra, fuerunt olim praecipue sequentia. 1<sup>o</sup> *Palatium regium David* in vertice Sion, ubi arca foederis diu servata est (2 Reg. V, 11, VI, 12). 2<sup>o</sup> *Palatium Salomonis* multo magnificentius pariter in Sion (3 Reg. VII, 1). 3<sup>o</sup> *Domus saltus Libani* ita dicta ob immensam copiam ligni cedrini in eius constructione adhibita, quae dicitur fuisse « centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis: et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas » (3 Reg. VII, 2). 4<sup>o</sup> *Porticus duplex* prope palatium (ibid. 6). 5<sup>o</sup> *Porticus solii* cum tribunali (ibid. 7). 6<sup>o</sup> *Palatium reginae* ex lapide et ligno cedrino. 7<sup>o</sup> Atrium maius rotundum tres habens ordines de *lapidibus sectis*, et unum de dolata cedro ibid. 12. In nova autem urbe notatu digna erant 1<sup>o</sup> *Ara* ab Antiocho Epiphane aedificata super montem Akra quae deinceps a Simone Machabaeo eversa est, postea iterum aedificata a Iohanne Hyrcano et vocata *Baris*. Herodes magnus eam ampliolem et ornatiorem reddidit vocavitque *Antoniam* a Marco Antonio triumviro, a quo regnum acceperat. Sita erat in extrema rupe montis Akra versus latus Septentrionale templi et monti Moriae totique urbi dominabatur (Ios. Bel. Iud. I, 3, 5, Antiq. XV, 2, 4.). In hac arce custoditus est Paulus, iussu Lysiae proconsulis cum a Iudaeis ad necem quaereretur (Act. XXI, 30. seqq. XXII, 1. seqq.). Intra muros Antoniae erat Praetorium ubi Pilatus Romanorum procurator residebat, et prope illud locus eminentior musivo opere stratus

(*Gabbatha, lithostroton*) ubi idem Pilatus sedens pro tribunali Christum condemnavit (Matth. XXVII, 27, Io. XIX, 13 seqq.). 3<sup>o</sup> *Palatium Herodis* Agrippae magnificentissimum, muris cinctum ad triginta cubitos altitudinis: situm erat ad angulum Nord-est montis Sion (Ios. Antiq. XV, 93, Bel. Iud. V, 4). 4<sup>o</sup> *Platea* seu forum dictum *Xistus*, ubi populi conventus haberi solebant, ibique pons supra vallem tyropaeon, qui Sion cum Moria coniungebat (Ios. Bel. Iud. II, 16, 3, VI, 3, 6, Antiq. XV, 11). 5<sup>o</sup> *Palatium* dictum *Gazith* ex lapidibus electis affabre extractum, ubi magnum Syndrium iudicia agebat, secundum Iosephum situm erat inter porticum occidentalem templi, et Xistum. Omnia haec aedificia eversa fuerunt, eorum tamen ruinae recentius inventae et exploratae sunt et adhuc explorantur, unde etiam eorum situs et indoles accuratius determinari poterunt. Intra murum recentiorem praecipuum monumentum est ecclesia S. Sepulchri in parte occidentali urbis in districtu Christianorum.

Aquarum copia Ierosolymae deerat, unus enim proprie erat fons, nempe *Siloe*, ceterum cisternis cives utebantur, in quas pluviales aquae colligebantur: « Uno fonte Siloe, et hoc non perpetuo nititur civitas, (ait Hieronymus Com. in Ier. XIV), et usque in praesentem diem sterilitas pluviarum, non solum frugum, sed et bibendi inopiam facit; » quae etiam Tacitus confirmat in descriptione Ierusalem loco citato. Ceterum fons Siloe plures lacunas seu piscinas efficiebat, tum intra, tum extra urbem: ex his erat illa nominata Io. IX, 7: « Vade, lava te in *natoria Siloe*, » et alia quoque Io. V, 2 seq. memorata sub nomine *piscinae probaticae*, seu pecuariae, sic dictae vel quia ovibus potandis inserviret, vel, ut alii volunt, lavandis victimis pro sacrificiis, ad quam Christus languidum curavit: Iohannes dicit hanc piscinam hebraice *Betsaidam* vocatam fuisse, sed error est librorum, cum legendum sit *Bethesda*, ut Iosephus Fl. Hieronymus et Rabbinii legunt (vid. Hieron. in *Onomastico* ad hanc vocem). Extra urbem vero duae erant piscinae ad occidentem Sion, *superior*, et *inferior*, de quibus frequens est mentio in Scripturis: ita 4 Reg. XIV, 17 duces exercitus Assyriorum: « Venerunt Ierusalem et steterunt iuxta aquaeductum *piscinae superioris*, quae est in via agri fullonis, » et Is. VII, 3 propheta iubetur egredi in occursum Achaz: « ad extremum aquaeductus

*piscinae superioris* in via agri fullonis. » Fons et piscinae Siloe dicebantur etiam *Gihon*, ut apparet ex variis locis inter se collatis 4 Reg. XX, 20, 2 Par. XXXII, 30 et XXXIII, 14. Piscina Siloe, et quae ad eam pertinebant in Ierosolymae restauratione sub Nehemia instaurata fuisse dicuntur 2 Esdr. III, 15 et 16. Haec quidem de veteri Ierusalem.

Hodierna urbs Ierusalem iisdem ac vetus collibus insidet, nec tamen eundem praecise locum occupat. Murorum enim circuitus angustior est, et collis Sion nonnisi partem cingit, nam australis in qua extat monasterium Armenorum cum Ecclesia Salvatoris, et ubi traditio refert fuisse domum Caiphae (Matt. XXVI, 3) extra moenia iacet. Haec moenia a Sultano Soliman extracta fuerunt anno 1543: portae quinque sunt, per quas in urbem aditus patet, quarum praecipua est quae dicitur Bab-el-Khulil (*porta Hebron*) et ab Europaeis *porta Iapha*, seu *Ioppe*, quia est in via quae ad portum Iapha ducit: praeterea sunt duae aliae portae clausae. Summitatem montis Moria prope locum templi Salomonis occupat ingens et elegans templum Mobamedanicum dictum Kubet-es-Sukhrah a Chalipho Omar extractum circa annum 637, quamvis illud ad praesentem formam redactum credatur a Chalipho Abd-el-Melech anno 686. Ipsa area templi Salomonici adhuc cernitur et a Mahometanis *Haram* vocatur: ibi etiam scholae seu collegia Turcarum extracta sunt, et alia templa seu Moscheae Musulmanicae. Reliquae partes urbis in collibus Sion, Akra, et Bezetha in varias regiones divisae sunt iuxta varias gentes, ac religiones hodierni populi. Mahometani maximam partem occupant, nempe orientalem partem Akra, cum Bezetha, et Moria, Christiani partem occidentalem Akrae cum Golgotha, Armenorum districtus maximam partem collis Sion tenet, Iudaeorum denique districtus ceteris inferior infra Sion et Ophel situs. Integer populus ad 17,000 vix ascendit. Generalis aspectus urbis arabicum stylium praesefert; aedificia plerumque humilia, et parum elegantia, viae angustae et generatim recurvae: inter Christianorum aedificia eminent *Ecclesia S. Iacobi* cum monasterio, quae olim a regibus Hispaniae aedificata, nunc a monachis Armenis tenetur: in colle Akra notatu dignum est aedificium equitum S. Iohannis: item hospitium Sanctae Helenae nunc a turcis occupatum; imprimis vero *Ecclesia Sancti Sepulchri*, ubi Christi Domini sepulchrum

invisitur. Haec ecclesia a Constantino erecta fuit, sed postea a Persis, et a Mahometanis vastata iterum atque iterum restaurata, et ad praesentem statum redacta est saec. XIII. Est autem complexus quidam plurimum aedificiorum, scilicet Ecclesiae S. Sepulchri proprie dictae, Ecclesiae Crucifixionis, et Ecclesiae Inventionis Crucis, quae simul coniunctae et in unum aedificium compositae fuerunt: pars rupis Calvariae cum sepulchro Domini in ea excavato intra ambitum aedificii includitur.

II. Ad vicinias Ierosolymae quod attinet, circa urbem duo valles decurrunt. Ad Occidentem et Austrum est *vallis Ennon* seu *filiorum Ennon* in Scripturis celeberrima (Ios. XV, 8, XVIII, 16 4 Reg. XIII, 10 etc.) intra collem Sion ex una parte, et terrae tumulum ex alia inclusa: circa extremum vallis versus Cedron est Campus *Aeldama* pecunia Iudaei proditoris coemptus (Math. XXVII, 7, 8, Act. I, 19). In valle Ennon olim Iudaei superstitionibus indulserunt, offerentes filios suos per ignem idolo Ammonitarum Moloch (Ier. VII, 31, 3 Reg. XI, 7). Hinc tempore Christi nomen huius vallis hebraice *Ge-Hinnon* (Gehenna) usurpari solebat pro inferno: pars huius vallis dicebatur *Tophet*. Ad orientem vero urbis iacet *vallis Cedron* a torrente Cedron appellata. Pars superior vallis dicta est *vallis Iosaphat*, licet haec appellatio posterior sit, et derivata ex interpretatione vaticinii Ioeelis III, ubi gentes Iudaeis infensae in iudicium vocantur; nomen enim Iosaphat significat *Dei iudicium*. Ad austrum vallis Ennon antiquus aquaeductus cernitur et inferius collis *Mali Consilii* ubi ostenduntur rudera villae Caiphae: circa locum ubi valles Ennon et Cedron concurrunt est fons Siloe: in ipsa valle Cedron cernuntur sepulchra Iosaphat, Absalom, Iacobi et Zachariae, et plurima sepulchra Iudaeorum. Ultra Cedron ad Orientem attolluntur iuga montis Olivarum, ad cuius radices erat *Gethsemani*, quo Christus post ultimam coenam, transmissa torrente Cedron, se recepit, ubi et a satellitibus captus est, et paulo ulterius ad orientem montis Olivarum sunt oppida *Bethaniae* et *Bethphage*: ad septentrionem vero eiusdem Oliveti mons *Scopus*. Vallis Iosaphat extenditur etiam supra Bezetha ad Septentrionem urbis, ubi cernuntur *sepulchra regum*, et tumulus *Helenae*. Coetera quae circa Ierosolymam ostenduntur, nec omnino certa sunt, praetermittimus.